ARNOLDVS A BRAVVILER COLONIENSIS CONSVL.

ARnoldus ex honeſta Brauuilorũ familia natus, à pueris optimis literis incubuit, atq; magnam earum cognitionẽ acquiſiuit. Hiſce adiungebat naturalem facundiam, atq; prudentiam ſingularem. Itaq; factum ut eo tempore, quo ruſticorum tumultus per Germaniã graſſaret, Anno 1525 Colonienſis reipub. Conſul electus fuerit. Eã functionẽ is magna gloria per annos 30 exercuit, atq; patriam plurimùm exornauit. Hinc cõtigit ut Carolus Imperator atq; etiam pontifex Romanus eũ ſingulari amore proſecuti fuerint, atq; aliquoties de rerum ſtatu per literas & legatos cum eo cõtulerint. Cum hoc modo Arnoldus in magna authoritate eſſet, tandem ſenex 1555 obijt, & honeſtè ſepultus fuit Anon.